

## Articulus 10.

Statuant etiam Domini Regnicolae contra Mulieres, quae Maritis suis legitimis derelictis cum aliis cohabitent; nec non etiam contra eos, qui spretis ipsorum coniugibus scelerate scortantur concubinasque perplures in singulis eorum Curiis tenent: ut in tales Domini Comites et Vicecomites serio animaduertant et comperta rei veritate, postposito longo processu, contra eos juridice procedant.

Quae praemissa et quaevis praemissorum singula, per Status et Ordines Regni firmiter et inviolabiliter observanda, Status et Ordines ipsi praemissos Articulos Sigillo illorum publico communiri voluerunt. Datum loco, die et anno suprascriptis.

Nos itaque praemissa eorundem Nunciorum humillima supplicatione, non minibus ac in personis Supradictorum Vniversorum Statuum et Ordinum dicti Regni nostri Sclavoniae, Maiestati Nostrae oblata, Regia benignitate exaudita et admissa, praefatos vniversos et singulos Articulos, nobis modo praemisso presentatos, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum insertos et inscriptos, ac omnia et singula in eis contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum benevolumque pariter et assensum praebuimus, ac illos et quaevis in ea contenta, autoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauius, et confirmauimus; offerentes nos clementer, quod praemissa omnia in omnibus punctis, clausulis et articulis, tam nos ipsi obseruabimus, quam per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunque Status et conditionis existant, inviolabiliter obseruari faciemus; Imo acceptamus, approbamus, roboramus, et confirmamus harum nostrarum vigore et testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima sexta die Mensis Januarii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo octavo. Regnorum nostrorum, Romani Tricesimo tertio, Hungariae et aliorum Tricesimo Sexto, Bohemiae nero anno similiter Tricesimo tertio.

Nos itaque huiusmodi supplicatione humillima annotati Episcopi Zagabiensis, pro parte ac in persona annotatorum universorum Statuum et Ordinum dicti Regni nostri Sclavoniae, nostrar modo praemisso oblata Maiestati, Regia benignitate exaudita clementer et admissa, praemissas literas dicti Domini Imperatoris et Regis Rudolphi etc. confirmationales, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspitione carentes, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum, sine diminutione et augmentatione aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, clausulas et Articulos, eatenus, quatenus eadem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earundem veritas suffragatur, ratas, gratas, et acceptas habentes, approbauimus, roborauius, ratificauimusque ac pro suprascriptis universis Statibus et Ordinibus saepetati Regni nostri Sclavoniae ipsorumque posteris et successoribus universis innovando perpetuo valituras gratiose confirmauimus. Imo acceptamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus, Harum nostrarum, Secreto Sigillo nostro, quo tanquam Rex Hungariae utimur, impressive communitarum Vigore et testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Posoniensi. Sexta